

adfectus inordinati &c. &c. Quam multiplices ex singulis hifce hauriamus errores, quibusque mediis iis obviare debeamus, interroganti explicabimus.

EX
PHYSICA GENERALI

PRÆNOTIO.

Physica scientia naturae corpus sensibile, ejusque proprietates indagat; via duplici ad ejus arcana penetrare contenderunt philosophi: a priori cum Cartesio, a posteriori cum Newtono; Newtoniana philosophandi methodus Cartesianae jure merito praefertur.

§ I

DE PRINCIPIIS ET VIRIBUS CORPORUM.

I Entia, mundum hunc adspectabilem constituentia, vocantur corpora, suntque composita, quae componentia & eo ipso simplicia subponunt elementa, quae elementa proin & corpora nunquam se mutuo contingunt.

II Corpora atque adeo elementa gaudent vi motrice, qua ipsa sese movent, tametsi ad certam celeritatem & directionem motus causa extranea determinante indigeant.

III Gaudent quoque vi motrice, qua alterum ab altero movetur, & quidem vi repulsiva, qua se invicem in minimis distan-